

Alia circa eandem materiam.

De Sayri, & Topasayri.

105 PRATER Tabachum Concilium apponit Sayri, qui pulvis est Indicus ad sternendum validissimus, vt sic caput grauatim multipliciter alleuetur, quod etiam dicitur Topasayri, nec graueolentiam illam, quam Tabachus, relinquit. Illo ergo vti non licet, vbi Concilij viget auctoritas. Quia vero sunt alia, siue ex genere Indicarum plantarum, siue ex Europæis, aut aliunde petita, quæ sumi solent, vt rosacei pulueres & ex Sandalo, dubitari potest an debeant etiam prohibita censi à Concilio. Et vt prohibita censi non debeant est obuia ratio ex doctrina communi de lege pœnali, quæ debet strictè interpretari: cui insistere qui voluerit, non poterit facile erroris conuinci. Pro quo & argui ex eo potest, nam cum pulueres dicti Orbiferè vniuerso communes sint, & contingere possit vt ante Communionem fumantur, non inuenitur pro hoc quidquam in Conciliis cautum, vnde neque Indica Concilia existimanda sunt prouidentius circa illos quidquam statuisse. Est ergo pars ista non inuerosimilis: sed qui eam sequi voluerit, scandalum vitare debet: qui enim viderint puluerem quemlibet Tabachi more defumi, pro Tabacho non imprudenter iudicabunt, quia iudicium iuxta communiter accidentia solet efformari. Et quidem neque bonum illud de Tabachistis multi habere solent, nec tale quale sibi Sacerdotalis & Religiosa debet dignitas accurare: vnde Dom. Solorzanus in Politica pag. 118. Col. 1. in fine post adducta aliqua contra putidam illam consuetudinem ita subdit: *Cosas todas que en mi concepto son bastantes para no haerle bueno de los que se dan à deleyre tan asqueroso.* Sic ille. Cui & ego libenter subscribo, & ita sanè sentio. Vt in prouisione Beneficiorum merito debeat ratio consuetudinis istius haberi, & minus dignos, ne indignos penitus dixerim, eos habendos decernere, qui illà notati fuerint deprehensi. Vitium enim est, quod & ipsi non negant, & sordidum quidem ac fœdum, rebusque sacris tractandis peculiarem inconcinnitatem adducens. Quomodo ergo in Beneficijs conferendis habenda de hoc ratio non sit, & vitium istiusmodi supprimendum?

An in statu mortalis peccati sint hinc vitio dediti. Et pro parte affirmante arguitur septem rationibus. Prima ratio. Dom. Solorzanus. Barclayus.

106 Et dubitari quidem potest an huic vitio dediti in statu mortalis peccati sint, quod probari potest Primò. Quia graue nocementum salutis inferunt, ex eo quod pulueres cerebro notabilem inducant siccitatem, quo nihil illi magis aduersum esse potest. Fumus autem hepar, & viscera adurit, vnde & mortes subite non raro contingunt: pro quo faciunt Carmina, quæ ex Ioanne Barclayo adducit Dom. Solorzanus supra ex iis Hispanè versâ, quæ habet Tomo 2. Lib. 1. Cap. 8. num. 27. quorum illud semel & iterum vsurpatum: *Planta nocens. O lethifero Planta horrida fumo!* Quando autem graue nocementum salutis ex immoderantiâ eorum, quæ ore sumuntur, inferunt, graue peccatum esse communiter Doctores affirmant, vt videri potest apud Cardinalem To-

letum Lib. 8. Cap. 60. n. 1. P. Lessium Lib. 4. Cap. 3. n. 7. P. Escobar supra Tract. 2. numer. 23. s. Quando nam. Balfæum verb. Gula. num. 3. & alios. Secundo, quia iuxta citatos, Gula tunc est peccatum mortale, quando ex nimio cibo aut potu probabiliter timetur aliquod peccatum mortale. Pro quo Cardinalis Toletus supra s. sexto, Quando: cui alij consentiunt. Atqui Tabachistæ non vni, sed multis mortiferis peccatis obnoxij sunt, qui & vehementi appetitûs vrgente, quidquid obstitit, transgredientur: possunt autem multo- ties mandata sub mortali obligantia interponi. Tertio. Quia communis etiam doctrina est, gulam esse peccatum mortale, quando ex ea sequitur scandalum, vt apud eundem s. Quarto quando, & alios citatos. In casu autem nostro sic vti- venit, si præsertim huic vitio implexi Sacerdotes aut Religiosi sint. Quarto Quia res sacræ & diuine indecore tractantur, vestes sacræ inficiuntur, & Corporalibus ipsis sordes ad nauseam prouocantes insillantur. Quinto. Quia tales nihil pro dignitate, & vt res exigunt, faciunt. Sed prope- rit, tumultuarie, ad sordidam illam voluptatem semper anhelantes. Vnde & cremandus die se- quenti prouectæ ætatis homo ob fœda crimina, cum à Sacerdote ad dispositionem Christianam efficaciter, licet suaviter, vrgeretur, inter doloris pro peccatis actus Tabachum postulabat: pro quo à Sacerdote correptus consuetudinem causabatur. Ergo neque æternæ salutis negotium in extremo articulo conuenienter finit pertra- ctari. Sexto, quia, vt dixi num. 95. multi viri gra- ues, docti, & experti, diabolicum aliquid in sum- ptione ista tantoperè inhærescente admiseri ar- bitrati sunt, & nunc etiam arbitrantur. Tandem, Præfati viri de Tabachistis bonum se non habere conceptum voce & scripto protestantur: in bo- no ergo illi statu non videntur esse; quandoquid- em ex leuibus defectibus non debet absolutè si- nister conceptus efformari. Sed erunt qui hæc non vrigere contendunt, & mortale peccatum in abusu prædicto negent, & suam pergant hinc & inde petitis rationibus comprobare sententiam. Sed durum sanè erit, si quod ipsi probant, Deus fuerit inuentus reprobare. Et nil tale timentibus dicatur: Fumo pereant, qui fumos non ven- dunt, emunt tamen, contra eius, qui ignis consu- mens est, manifestissimam voluntatem. Pro quo hæc satis.

CAPVT IX.

Circa ministerium Altaris nonnulla alia pro Indorum Parochis.

107 IN Cõcilio Limesi tertio Act. 4. Cap. 11. sic habetur In Missali auctoritate Summi Põ- rificis edito, nihil addatur, aut detrahatur, aut immutetur quouis modo, sed quemadmodum est ab Apo- stolica Sede constitutum, Missæ ceremonie omnes, ce- teraque diuina peragantur. Hæc Concilium. Quæ quidem omnes in altari ministrantes obstringunt, sed circa Indorum Parochos inculcanda illa, quia circa hoc solent frequentius culpabiles inueniri. Debent ergo pileo vti, dum è Sacrificia exeunt, & ad illam reuertunt: sic enim in Missali præcipi- tur:

A Paro- chis Indo- rum Missale Romanum peni- tæ obser- uandum. Concilium Ltm. 3.

tur: per medium ad altare ascendere, & non per latus, Calicemque manibus portare, & non in altari aliàs positum satis esse censere, cum debeat portari patena & hostia super positis. Sic alia sunt, in quibus lapsus multiplices; sed præ aliis fortè maior ille in quibusdam, qui eò quod inter Indos se tantum versari videant, grauitatis pro sacrificij maiestate debita penitus obliuiscuntur. Ibi ergo magis damnabiles, vnde excusationem suæ leuitati prætexunt: quia enim Indi sunt qui assunt, ideo illi ad reuerentiam sunt Sacramen- ti, sui Rectoris exemplo singulariter pertrahendi, docti alium de illo formare conceptum, quod vident à viro dignitatis tantæ sublimi circumspecti- one tractari. Quod autem nihil addendum sit, detrahendum aut immutandum, à Pio Quinto in sua Constitutione præcipitur, quæ in princi- pio Missalis occurrit, verbis illis: *ac huic Missali nostro nuper edito nihil vnquam addendum, detrahendum, aut immutandum esse decernendo, sub indignationis nostræ pœnâ, hac nostrâ perpetuè valiturâ Con- stitutione statuimus, & ordinamus.* Sic ille. Et qui- dem cum ita sit à Pontifice constitutum, non videtur cur Concilium suo illud voluerit Decreto firmare. Sed certè conuenientissimum fuit, quia in Indiis ea licere videntur quæ pro cuiusque libitu disponuntur. Vnde & pro Regijs, & pro Ecclesiasticis Constitutionibus obseruandis, pec- cularis debet à Gubernatoribus & Prælatibus co- natus adhereri. Est etiam Decretum dictum De- creto Tridentini Concilij conforme *Sessione 22. de obseruandis & vitandis etc.* Vbi Episcopis hu- iusmodi cura præcipitur, vt per edita & pœnas, ritus & ceremonias ab Ecclesia probatos faciant obseruari.

Decretum Tridentini pro absolu- ta obser- uantia riti- um & ceremoniarum.

Circa pa- cem in Missa quid ex Concilio Limesi 3. & Missali Rubrica.

108 Addit sequentia Concilium: *Inter Mis- sarum alicui seculari pacem cum patenâ dari, aut per Ministrum Ordinis sacri ad feminam cuiuscumque dignitatis deferri nullâ ratione permittatur.* Sic Con- cilium, cui penitus concinit Synodus Diœcesana Pacensis Lib. 3. Tit. 8. Cap. 50. Vbi quid ad pa- cem cum patenâ dandam spectat satis ex Rubrica Missalis constat. s. 10. num. 3. in quo sic dicitur *& instrumentum pacis ei porrectum à Ministro iuxta ipsum ad dexteram etc.* Debet ergo esse peculiare instrumentum, & non patena. Licet autem id pro omnibus videatur dispositum, ita vt Ec- clesiasticis etiam pax instrumento, & non pate- nâ sit danda, quia nulla in dictâ Rubricâ, & aliâ, quæ habetur num. 8. indicatur diuersitas: pro so- lis tamen laicis vti obtinuit vt patena non de- beat adhereri. Immo & pro Prælatibus expressè lo- quitur Gauantus in Commentario Rubricæ citatæ L. F. sic dicens: *Minister daturus pacem genuflexit ad dextram Celebrantis, & dicto tertio Agnus Dei, por- rigit instrumentum osculandum eidem Celebranti: tum factâ genuflexione, accedit ad Prælaturum & alios, qui- bus idem instrumentum porrigit etc.* Pro quo & fa- cit id, quod testatur in eiusdem s. num. 8. vers. Or- do vero, Commentario, verbis sequentibus: *ne- que datur vnquam cum patenâ, vice tabellæ, seu in- strumenti, quam patenam prohibuit Pius V. in Epi- stola ad Archiepiscopum Tarraconensem supra citatâ num. 5.* Sic ille. Prohibitio autem videtur fuisse generalis, vt probat particula *Vnquam*, quæ ad- iungitur cum negatione. Verùm dicente Aucto- re prædicto patenam à Pio V. fuisse prohibitam.

Gauantus.

Patena vsu in pa- ce vt pro- hibitus & permissus.

ex eo videtur fieri non prohibitam illam per ea, quæ in Missali habentur. Cumque aliàs Episto- la illa Pij V. ad particularem Prælaturum fuerit di- recta, neque vt vniuersale Rescriptum intimata, patenæ vsus non videtur generaliter fuisse subla- tus. Ideo circa hoc non vna est vbiq; consuetu- do, & licet quod ad laicos spectat, peculiare Pon- tificium Decretum extet, Proregi tamen pate- nâ datur pax, & supremis alijs Prætoriorum Præ- sidibus, ac confidentibus Auditoribus. Nec mi- rum erit, si Prætores Indorum tale quid velint, & obtineant, Parochis coniuuentibus, ne diffi- ciles experiantur salarj sibi reddendi solutores, aut aliàs aduersantes.

109 Circa feminas autem id, quod à Con- cilio statutum est, cum Proregum vxoribus non solùm temperatum, sed etiam ampliatum: si e- nim publice sacris Missarum solemnij interfunt, per patenam illis datur pax, & alia pariter sunt, quæ fieri cum Proregibus solent, quia eidem honorum prærogatiuis, quibus mariti, perfruun- tur: ad eum modum, quo Reginæ illis, quas di- citur Regalias, iuxta vulgatum Iuris pronuntia- tum, quod vxores radijs virorum illustrantur. In quo quidem, vt de Regibus non loquamur, quia eorum alia ratio est, quibus & Pontifices plus indulgent, erga res Ecclesiæ beneuolas ha- bere conueniens arbitris: nimia videtur licen- tia præsumi, quia nullibi illa concessa; & neque in ciuilibus ea est honorum similitas, vt est pla- num: quia Proreginas comitari non debent Au- ditores, neque in tellis federe illæ possunt, illis ad- stantibus, Proregum more: & vt in illis esset, circa diuina nequit extendi, quia à diuerso fonte procedit: vnde & Pontifex potest; quod ad id spectat, prout libuerit, indulgere. Et huc certè videtur Concilium respexisse verbis illis: *cuius- cumque dignitatis.* Quod si in talibus hoc officij genus indecens à Concilio iudicatum, multo id erit indecens respectu aliarum. Videant ergo Religiosi, qui vt Patronarum gratiam inean- t, per Sacerdotem stolâ ornatum pacem illis defe- rendam iubent, an id Ecclesiæ sit ritui & dispo- sitioni conforme. Est autem amplior pro thuri- ficatione concessio in Ceremoniali Episcopo- rum. Reginis enim & magnis Principissis con- ceditur, sicut & viris, immò & omnibus Magi- stratibus. Pro quo Dom. Villaroël Parte 2. Quest. 11. Artic. 6. num. 16. Vbi quod Missale tantum Proregi deferendum, iuxta Regiam schedulam. Sic num. 5. Quomodo autem in Chilensi Eccle- siâ pacem Diaconus Regiæ Audientia præbeat, cui consuetudini imple morem gesserit, & de alijs dispensationibus circa Ceremoniale à Regiâ In- diarum Consilio iustum obseruari, quibus vrbani- tatem suam posteris commendatam relinquunt, videndus Art. 3. num. 87. & 88. quæ an à Su- premo diuinæ Majestatis Consilio approbatæ fuerint, erit cum certè certius videamus. Et post hæc scripta à Supremo Consilio Indiarum rescriptum vt Patenæ vsus in Pace nequiquam ad- mittatur. Quibus præiactis, Dico primò. Parochi Indorum cære- moniarum sacrarum incuriosi, & eo se gerentes modo, de quo numer. 107. mortaliter peccant. Probat. Quia rem omnium diuinissimam, indi- gnè tractant, & suo exemplo Neophytos ad ir- reuerentiam

Cum Pro- regum vx- oribus in vtu, sicut & ceremo- niæ aliæ maritis propria. Sed nimis extensio.

Amplior pro thuri- ficatione concessio.

Afferio x. Parochos Indorum mortaliter peccare cære- monias negligentes.

Declaratio Pontificis pro Rubricarum obligatione.

reuerentiam cum fidei exilitate compellunt. Et pro Rubricarum obseruatione, vt alia omittam, stat Declaratio Pontificis, quam adducit Diana Parte 2. Tract. 14. Resolut. 4. ex Emmanuele Roderico, & Henrico Villalobos, & sic habet: cum Cesar Episcopus Nonariensis in Hispanijs Nuntius Apostolicus esset, fuit coram eo dubitatum an Religiosi peccarent mortaliter in Canone Missæ dicendo commemorationem pro Episcopo loci, in cuius locum ponebant Superiorem Ordinis: consulta ab ipso Nuntio Sanctæ Sedes Apostolica respondit eos mortaliter peccare, eum sic ad vnguem Missæ obseruandum, nec in Collectis Missæ posse aliquid addi sub eadem penâ, præter Orationem solitam pro Rege, & eius prole & exercitu. Sic Pontifex: propter quod citati ita sentiunt. Et Hieronymus Garcia Tract. 3. Difficult. 8. n. 20. affirmat circa hoc omnes conuenire. Pro quo & videndus P. Dicastillus Tract. 5. Disput. 4. Dubit. 13. Mirari autem iuvat Dianam ita absolute sententem, circa Rubricas id addere, quod nequit cum prædicta resolutione constare: Nam Resolutio sequenti ait contra aliquos, non peccare mortaliter Sacerdotem, qui cum se induit sacris vestibus, Orationes tunc dicendas ex præscripto Missalis omittit; eâ reddita ratione, quia pro illis dicendis nullum extat præceptum, & quædam in Missali ponuntur, quæ solum ad consilium spectant, & ex quadam decencia debent obseruari. Et addit sic: Vide Fagundez loco citato. (scilicet Tract. 1. in Præcepta Ecclesiæ Lib. 3. Cap. 21. num. 9.) & num. 32. vbi probat Regulas Missalis non obligare ad mortale, nisi continent essentiam, seu quasi essentiam sacrificij, reliqua vero non esse præcepta, sed consilia, & instructiones. Sic ille. Qui Resolut. 55. quæstionem de Rubricarum obligatione cum eodem Patre decidit, sic tamen concludens: Et ego puto ita omnino esse tenendum; vt docet Fagundez Tract. 1. Lib. 3. Cap. 21. & sequ. quæ intelligenda sunt, si vnam, vel alteram Rubricam non obseruaret; non autem si nullam; aut si in rebus substantialibus sacrificij delinqueret, vt alibi dictum est. Sic ille: quæ, vt dixi, nequeunt cum prædicta resolutione componi. Quod enim in Canone nominatur Episcopus, Rubrica vna est, minime ad substantialia sacrificij spectans: & quod pro Episcopo ponatur Prælati Religionis, leuis mutatio est, quatenus ad vnam tantum Rubricam pertinet minime substantiale: & tamen iuxta illum in tali mutatione peccatum mortale est, ob declarationem Pontificis, qui generalem eam obligationem pro ratione reddit, quod scilicet Missale sit ad vnguem obseruandum: ergo stare eiusdem assertio nequit, de leui tantum obligatione circa prædictam obseruantiam.

Contra eundem arguitur.

Deinde, Peccatum mortale fatetur committi, si nulla Rubrica obseruetur, non autem si vna vel altera: atqui inter nullam & vnam, vel alteram, medium est, quod scilicet plures non obseruentur, sunt enim illæ multiplices; tertia inquam, aut media, aut maior eorum pars. Cum ergo vnus tantum, vel alterius exceptio fit, ex eo sequitur inobseruantiam plurimum peccatum esse mortale: cum additur omnimoda præteritio, quæ plurimum fit, non videtur lethalis culpæ damnari: manet ergo consilia decisio; & vt non manere dicamus; neque Auctorem sibi post exiguum progressum contradicere; dicam

mus sanè quod de re esse videtur, eum de vna aut altera Rubrica tantum locutum; & id addidisse, quod omnino certum est; scilicet Rubricarum absolutam penitus violationem sine culpa mortali non stare. Quod autem responsio omnino exacta non sit, minus est curandum, quam vt contradictionem in Auctore tanto adeo celerem asseramus. Dici etiam potest aliquid citato loco deesse; hæc scilicet verba: aut notabilem eorum partem, post illa: Non autem, si nullam. Quod verosimile reddidit ex eo quod P. Fagundez, quem ille sequitur, aliquam moderationem adiciat n. 7. cit. Cap. 21. sic dicens: & ideo non peccare, communiter loquendo, mortaliter illum Sacerdotem, qui aliquam, aut aliquas earum, scienter sine causa omittet; modo non dimittat tantam illarum partem, vt nouum ritum in Ecclesiam introducat. Hæc ille. Est autem manifestum quod nouus celebrandi ritus introducitur, quando notabilis ceremoniarum pars aut omittitur, aut mutatur: quia licet non sit animus introducendi illum, quoad se tamen introducitur: ridiculum enim esset conari simplicem Sacerdotem, aut etiam Parochum, ritum introducere in Ecclesiam, qui ab omnibus esset obseruandus. Prædictis autem si addamus id, quod de Parochis Indorum diximus, & rationibus peculiaribus, quæ pro illorum obligatione militant, res videtur extra dubium.

P. Fagundes.

Dico secundò. Violatio præcepti circa patenæ vsum in dandâ pace fati verosimiliter dici potest esse mortalis. Probatur. Quia patenæ res sacratissima est, & ita in illius vfu ordinatio debet Ecclesiæ seruari. Cum enim ad recipiendum Christi Corpus destinata & consecrata sit; quidquid præter illum contra Ecclesiæ præceptum sit, materiam grauem concernit, vnde non debet leuis in eo tantum lapsus iudicari. Quod vrgetur ex dictis pro Assertionem præced. ex Declaratione Summi Pontificis circa nomen Antistitis: quia missus in eo videtur esse ad obligationem prædictam fundamentum; cum ibi vsum rei sacræ nullus sit, contra Ecclesiæ prohibitionem. Deinde. Quod patenæ ad vsum sacrificij consecrata esse debeat, ceremonia quædam Ecclesiæ est; & tamen graue peccatum esse: eam sine consecratione pro sacrificio adhiberi, omnium sententia est: licet sint qui sufficere dicant in ea celebratum esse sacrificium, quia per Corporis Christi contactum altior modus consecrationis habetur. Quod autem ritus talis sub reatu culpæ lethalis vrgeat, ex grauitate materię Doctores colligunt: ergo similiter est de illius vfu dicendum, quando grauitate prohibitus deprehenditur. Circa feminas autem non videtur posse verosimiliter dubitari, quia in eo specialis indecentia reperitur, & ab vfu Ecclesiæ videtur abhorrere.

Assertio 2. Pacem vsum in pace contra Ecclesiæ præceptum esse mortalem.

Dico tertio. Pacem feminis per Ministrum sacrum deferri, peccatum mortale est. Probatur. Quia Concilium ait nullo modo id esse permittendum, supponense esse prorsus indecens. Quod autem Decretum hoc sub mortali obliget, ex eo ostenditur, quia materia grauis est, & non leuis momenti: & si obligatio grauis non esset, ferè inutilis redderetur. Quotus enim quisque ex secularibus est, qui circa venialia hæreat, cum occasio occurrat, in quâ benemereri de feminis primariis possit, aut earum sit indignatio subeunda?

Assertio 3. Pacem feminis per Ministrum sacrum deferri, mortale esse.

Ex prohibitione ministrandi in alteri feminas arguitur, & quid circa illâ.

da? Dictum de hoc aliàs: & in genere sacrarum actionum, de quibus loquimur, hanc regulam scriptores docti constituunt ad dignoscendum quales Rubricæ obligationem grauem inducant, quales leuem: vt tunc grauis sit, quando materia est grauis; tunc leuis, quando circa leuem versatur illa materia. Pro quo videri potest Hieronymus Garcia supra, num. 6. & sequ. Et pro exemplo leuium adducuntur illæ, quibus disponitur, vt signacula in Missali ante egressum è sacristiâ suis locis accomodentur: quod manus hoc aut illo modo in Gloria & Credo habeantur, &c. Atqui in casu nostro Decretum Concilij circa materiam versatur grauem. Quis enim non videat rem esse momenti non leuis vt Minister faceret feminæ pacem non deferat? Sicut grauis prohibitio est, quâ cauetur ne femina in Missâ ministret, vbi haberi copia alterius Ministri potest: quandoquidem etiam eo deficiente, sunt qui negent; & fatius esse putant vt Sacerdos ipse defectum Ministri suppleat, vel vt Missam penitus omittat: pro quo sunt Doctores, quos adducit & sequitur idem Garcia supra, Dub. 5. numer. 4. tam enim graue videtur Ministrum sacrum ex altari ad feminam descendere, quàm feminam ad altare accedere, ministerium præstituram.

Assertio 4. quid in Proreginis, & alij.

Dico quarto. Quando Proregum vxores, licet id videatur asserendum, quod num. 109. satis comprobatum manet: quia tamen sunt aliqui contrarium verosimile reputantes; & ex omissione possunt non leues turbas in Indijs excitari sustineri id potest; non tamen in vxoribus Præsidentum, aut aliorum supremorum Gubernatorum, quia pro illis nihil est; quod vsum decentem ostendat, neque pro eisdem ea faciunt, quæ pro prioribus vidimus suffragari. Sed iam cessat difficultas iuxta dicta num. 109.

Assertio 5. qua obligatio in Religiosis.

Dico quinto. Religiosi, etiam Concilij Limensis Decreto non teneantur, quia tamen Decretis Pontificis subiecti sunt, circa Patenæ vsum pariter obligantur. Quod per Ministrum sacrum pax illis non deferatur; communis omnibus videtur obligatio; quia vt indecens à Concilio, non esse vno modo permittendum, irrefragabili est testimonio pronuntiatum: vnde circa indecentiam dubium esse nequit, accedente Pontifici prædicti Decreti approbatione, cum alijs Concilij eiusdem, & aliunde contra rece-

ptum est illud Ecclesiæ morem: ergo non est leuis tantum abusus, quam in eâ nimis officiosa actione committunt.

116 Dico sexto. Grauitate peccant Indorum Parochi, qui pro sacris officijs puellas cantatrices adhibent, quæ cum cantoribus alijs in choro decantent. Ratio videtur manifesta: quia id contra morem Ecclesiæ est, & singularem habet indecentiam, atque reciproca incontinentiæ periculum. Neque ex Monialibus sumi argumentum potest: illis enim propter statum adeo sacrum id conceditur, neque viris intermixtae sunt. Excusationem ex eo habere Parochi nequeunt quod viris careant, qui ministerio Chori inferuire possunt; melius enim erit ministerio tali carere, quàm illud inducere, vbi tot damnabiles circumstantiæ reperiuntur. Timebat D. Augustinus in cantu Ecclesiastico periculum sensibilibus voluptatis ex vobum suauitate, vt ipse eleganter prosequitur Lib. 10. Confessionum, Cap. 33. vbi hæc post alia habet: Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum salubritatis, magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proficiens, cantandi consuetudinem approbare in Ecclesiâ: vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cum mihi accidit, vt me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moueat, penitenter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem. Sic ille. Cum ergo ita in Ecclesiâ canendum sit, vt infirmiores animi in affectum pietatis assurgant, in quo periculum illud sensibilibus est timendus excessus: quid iam fuerit, vbi puellæ cantant, ex quarum cantu nihil ad pietatem spectans sperari potest, sed inuicta pericula pertineri. Erunt forte qui hoc velint defendere; sed videndum quo illi fundamento moueantur; & erit profecto non solidum: vnde Episcopi graui debent absurditatem istam edicto prohibere; iuxta id, quod Concilium Tridentinum eisdem præcipit Sessione 22. in Decreto de obseruantis & vicijs in celebratione Missæ: illa enim verbis eiusdem comprehensa, dum ait: Hæc igitur omnia, quæ summam enumerata sunt, omnibus locorum Ordinarijs ita proponuntur, vt non solum ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi prodat sibi à sacrosanctâ Synodo potestate, ac etiam vt Delegati Sedis Apostolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, statuunt, &c. Et pro Indicis Parochis hæc satis, vt iam ad Religiosos veniamus.

Assertio 6. Indus cantatrices in choro nequaquam admittendas.

D. Augustinus quid in Ecclesiastico cantu sentiret.

Ab Episcopis abusus dicitur remouendû.

Conc. Trid.

